

Diocletianum purpura exutum imperio et omni honore privarunt, Maximianus vero ab exercitu, quem in Galliam duxerat, pro piaculo, quod in sanctam legionem Thebeorum exercuerat, tanto odio est habitus, ut vix cum parva manu militum ad Constantinum, qui tunc imperium susceperat, profugus veniret. Cumque ipsi, a quo benigne susceptus fuerat, fraudulenter mortem conaretur inferre, apud Massiliam in hac conspiratione deprehensus ac strangulatus est impiamque vitam digna morte finivit. Attila itaque, ut diximus^a, omnem Galliam exterminando usque ad Pyreneos Montes devenit. Cumque inibi, irruentibus super eum Gotis et Wasconibus ac Britannis, maximum dispendium suorum pertulisset, reversus Torsimodo regi Gothorum bellum inferre temptabat. Tribus itaque diebus utraque phalanges contra se dimicantes multam stragem utriusque populi dederunt. Sed cum^b nocte dirempti fuissent, Agetius patricius ingeniose in ipsa nocte venit ad Torsimodum^c dicens: 'Usque nunc bene cum Attila pugnasti; sed nunc nequaquam vales resistere, quia de Chunis multitudo maxima ei supervenit; sciasque te, nisi cito recesseris, cum tuis [citius ruiturum^d]. Tunc Torsimodus spopondit Agetio XM solidos, ut suo ingenio Chunos averteret. Agetius itaque in ipsa nocte Attilae supervenit dicens: 'Optabile michi esset nimium, si perfidi Gothi per te possent superari. Sed hoc impossibile est; nam Theodericus frater Torsimodi cum fortissima manu Gothorum et Italorum hac nocte supervenit. Et o utinam cum tuis evadere posses! Hec audiens Attila XM solidos et ipse Agetio dedit, ut suo ingenio posset evadere, statimque per Galliam via qua venerat repedavit venitque Coloniam et obsedit eam.

III. Cum^b cives fortiter resisterent ac de muro plurimos occidissent, ex inproviso Dei ordinatione XI milia virginum, virorum ac mulierum navibus ac terra supervenerunt ac prope civitatem appulerunt. Cumque de navibus egressae in agrum contiguum civitati venissent, Attila cum suis novitatem rei admiratus ad spectaculum procedit. Deinde consideratis omnibus ipse rex alique proceres uxores sibi et concubinas de ipsis virginibus eligere temptabant. Ille vero spernentes consortia eorum^e et illicitum esse Christianis virginibus impudicissimis canibus et sacrilegis homicidis coniungi protestantur. Unde rex cum omni

a) 'prediximus' P. b) 'Cumque' P. c) 'Tarsimodum' P.
d) Fehlt in B, wo der Rest der Zeile, etwa 20 Buchstaben, freigeblieben ist.
e) 'illorum' P.